ACADEMIÆ EDINBURGENÆ GRATULATIO,

Ob Serenissimi, Augustissimiq; Monarchæ

CAROLI II.

Britanniarum, *Galliæ* & *Hiberniæ* Regis, Fidei Defensoris, in Solium Paternum Restitutionem,

OBLATA

Illustrissimo Dynastæ, D.

JOHANNI MIDDILTONIO,

Middiltonii Comiti, *Clarimontis* & *Fethercarniæ* Domino, &c.

Inclytissimo Regis Legato,

In aulâ ejusdem ACADEMIÆ, 29 *Maij* 1661.

EDINBURGI,
Excudebat GIDEON LITHGO, Academiæ *Edinburgenæ* Typographus. *Anno Dom.* 1661.

In Restitutione Augustissimi Regis

CAROLI II.

Ad Paternum Regnum

Divinæ Providentiæ Observatio.

STupore raptus, intuens,
Miratur Orbis CAROLUM;
Miratur ipse CAROLUS,
In se reflectens lumina.
Miranda quippe cernitur,
Et ipsi & orbis incolis,
Dei tremendi dextera,
Tractantis ipsum *Providè*.
Miranda *Destitutio*
Ut CAROLI, sic Scotiæ
Jus asserentis regium.
Solum id petebat CAROLUS
Quod jure debuit dari
Patris Sereni filio;
Lubenter ipsi præbuit
Sceptrum fidemq; Scotia,
Datamq; sanxit sanguine.
Sed jam jacere jusserat
Supremus Orbis Arbiter,
Cum CAROLUM, tum Scotiam
Ad tempus, alto in pulvere,
Nostræ saluti consulens,
Suamque curans gloriam:
Miranda *Restitutio*
Jam Regis inclytissimi,
Jacentis olim CAROLI
In despicato pulvere;
Nullum videntis exitum
Ex mortis atræ faucibus,
Sperantis in Deo tamen,
Qui stravit ipsum ut tolleret,
Depressit ut non perderet;
Confregit ut componeret
In mortis umbrâ hunc detinens,
Ut luce clarâ ostenderet,
Vitæ necisq; se Arbitrum.
Quò, quæ seorsim in plurimis
Dispersa sunt pericula,
Concurrerent in CAROLO.
Quò, quæ seorsim in singulis
Visenda sunt, in CAROLO
Collecta stent miracula; &
Quot obviam certamina,
Tot sint ei victoriæ.

Da: Dicsonus SS. Theol. Profes.



ΠΡΟΣ ΚΑΡΟΛΟΝ ΑΝΑΚΤΑ ΠΡΟΤΡΕΠΤΙΚΟΝ.



Ω Βασιλεῦ, κόσμȣ μέγα Θαῦμα, γίνωσκε σεαῦτον,
Καὶ Δωτῆρα Θεον παντοδαπῶν αγαθῶν.
Σον σωσαντα βιον, πόσακις σοὶ κίνδυνος ἦεν,
Ψυχην εκ θανατȣ πολλακι σπασαμενον.
Τὴν ἱεραν κεφαλὴν σὴν, ἐξιδιȣ̃ντα ἑαυτῷ,
Στεμματίῳ τριακὶς προσπεριβαλλόμενον.
Σοι ευγνωμοσυνην αἰτειν, ευχαιστε λογοιστε
Ημᾶς δει πολλȣ τȣς ἐπιταττομενȣς.
Ιν' ὡς Ευγενετὴς παντων σύ ὑπειροχος ἦσθα,
Ουτώς και πισει σφοδρα μεγισος εοις.

Δαβιδ Δικσωνος.

שיר פשוט [illegible]

למלך גדול אדיר ועצום מאד

קרולוס השני

מלך בריטניה הגדולה צרפת והיברניה

לזכר שובו למלכותו

אשירה נא שיר ליהוה שירה על חנו מצאנו׃
לאלהינו כי הוא גדול שבשפלנו זכר לנו׃
נפץ העם מפני חרב היה כצאן שלא רעה׃
ויהיו קלים רודפינו ארבו במדבר לתעה׃
השרים הלכו בארץ ועבדים רכבו על סוסים׃
נפלה כתר מראשנו משלו בנו גם הורים׃
כה ישבנו על העפר ובצלמות מבלי גאל׃
חסרנו רוח אפינו את מלך ומשיח האל׃

ויקם אל או בזרעו
השיב המלך ובידו׃
גם השבנו נפשתינו
לו התהלה כי רב חסדו׃
השיב אותו עם השלום
מבלי אבל ובלי שאון׃
בלתי מרמה ובלי דמים
השיב אותו עם השׂשון׃
ויסף לו את כל משנה
מרים כסאו נגד צריו׃
מכין העטרה על ראשו
רודה עמים תחת רגליו׃

הצילנו מכף אויב הוציא רגלינו מכבל׃
נתן הפאר תחת אפר שמן ששון תחת אבל׃
מה נשיב עתה ליהוה על כל רחמיו ותשועתו׃
נירא האלהים ומלך כי מעולם זאת מצותו׃
יחיה קרולוס השני יתן לו אל ארך ימים׃
יסעד נא לנצח כסאו ויאבד כל עליו קמים׃
זה היום עשה אל שדי ישמח היום איש בלבבו׃
זה יום מולדת מלכנו ותשובתו נגילה בו׃
ברוך אל עשה נפלאות הודו לו אתי בשמו יה׃
וכרו חסדו עולם ועד אמרו כל ימים הללו יה׃

Alex. Dicsonus, V. T. & L. S. Prof.



In Natalitiis Augustissimi Monarchæ,

CAROLI II.

Britanniarum, &c. Regis, Panegyris.



Lme *Parens*, summâ qui terras ætheris arce
Despiciens, stricto metiris cærula pugno,
Pulvereumq; globum modio, convexaq; Cœli
Atria mensuras spithamâ; collesq; bilance,
Et trutinæ aërios libras examine montes:
Imperii non fræna tui nunc æqua negamus
Ampliùs, aut dubiis colimus tua numina votis.
Te rerum moderante vices, te Judice, digno
Vindictam exitio sceleratam exscindere gentem,
Maturasq; sequi pœnas quis deneget ultra?
Quis neget innocuis tandem, te Vindice, vota
Spesq, ratas, terræ neglectæ absolvere cœlum?
Testis erit, quæ te dîas in luminis oras
(Cura poli, populiq; decus lumenq; Britanni)
CAROLE prima dedit, *Junonis* quarta Calendas;
Fausta dies, semperq; animis memoranda piorum,
Festa dies, semper fastis celebranda Britannis;
Gaudia quæ toties Patriæq; Patrique, tibique
Certa tulit, bis natalis Patriæque, Tibique:
An memorem (jam post quinquennia vota parentum,
Tot Procerum Plebisq; preces, tot jam omina lenta,
Postquam multa polo Sanctorum casta litâsset

Victima) quanta Patris pia solicitudo supremi
Pro solio tandem effulsit populoque Britanno?
Testari ætherea quam sydera jussit ab arce;
" Saturnus fugiat terras, summâq; vagetur
" Abside, nec lætis interserat omina rebus
" Tristia, solicito relegens vestigia gressu:
" Mitior, auspiciis & semper grata secundis,
" Fax Jovis, elatâ sese demittat ab *Auge*,
" Exhilarans populos curru propiore *Britannos*.
Dixerat. Hi parent. *Thamiseias* inde per oras
Spes animos fœcunda ciet: jamq; omine firmo
Excitat erectas ventura ad gaudia mentes
Civibus, & famæ tardatas increpat alas.
Ut verò manifesta fides; certusq; per urbes
Nuncius, Augustam faustâ jam prole penates
Regales auxisse, refert, nec deesse *Paternum*
Qui Diadema ferat, qui tantæ pondera molis
Sustineat, cum fata vocent; dum læta triumphis
Agmina certatim lassabant tempora festis,
Astrorum Interpres, arcana evolvere solers,
Æthereum castâ veneratus mente Parentem,
Sublimesq; oculos tollens ad sidera, fatur.
" O qui perpetuâ lustrantes lampade terras
" Lucis inexhaustæ flammas, per inane rotatas,
" Te leges authore datas & jura recursu
" Constanti servare doces; & cum nova terris
" Edere signa jubes, tua jussa capessere promptas
" Semper habes famulas super ardua nubila stellas;
" Da Genitor supreme tuo de numine fixos
" Immotâ pendere fide. Jamque omina firmes,
" Spesq; ratas facias, te quas authore fovemus.
" Nulla fides Genesi: quod cœlo culminet alto,
" Quod Signum Oceanum subeat, noctemve profundam,
" Nulla piis cura est. At si denunciet æther
" Portento vel triste malum, vel læta futuri
" Signa boni, haud surdâ voces admittimus aure.
" Bis ter *Olympiaco* meritas in pulvere palmas
" Rettulit in Patriam Victor, cum voce triumphi;

" Ex

" Ex quo Ledæi ſuccenſa in pectore flamma
" Effulſit Cygni, priſcis incognita ſeclis,
" Nuncia lætitiæ Populo Regiq; *Britanno.*
" Nuncia Cunarum fuit hæc, Auguſte, tuarum,
" CAROLE prime, tui fauſtiſſima nuncia Regni.
" Cui jam naſcenti, læto Bodotria vultu
" (*Nereïdum* comitante choro) ſuper alta levato,
" Antiquâ oſtentans & majeſtate verendam
" Canitiem, & celſas proſpectans cominus arces
" *Fermelina* tuas, felicia ſecla canebat;
" Undiq; pacatis, fera quas diſcordia nuper
" Armârat,dextris: mox & coitura fideli
" Fœdere, communi regnanda *Britannica* ſceptro
" Imperia, externi poſthac ſecura pericli.
" Ipſe fidem eventus firmat. Vix tertia lætam
" Agricolis ſatio Cereris ſpem fecerat hornæ,
" *Saxonidûm* magno cedit Diadema JACOBO.
" Inde adeo gens una ſumus, Cui fœdera legum
" Firmaq; amicitiæ ponit dum vincla futuræ
" *Pacificus*, fauſta adjungunt ſuffragia Cœlo
" *Chanoninſq;* ſenex, volucerq; *Atlantide* natus,
" Cum Patre *Dictæo*, tria ſydera juncta Triquetro
" Aſpectu, inſignem reddit quem flammea virtus.
" *Magnorum hic ſemper motûm certiſſimus index,*
" *Auſpicio nunquam fruſtravit ſecula vano.*
" Huic tamen accedit portentum grandius, Aſtrum
" Ignotum antiquis ignorandumq; futuris,
" Inter inerrantes cœlorum in culmine ſtellas,
" *Herculis* Aſtragalum accendens; iiſdemq; diebus
" Mirandam æthereo ſpargens è vertice flammam,
" Saturni queis tæda Jovis conjungitur aſtro.
" At rebus majora iterum molimina motûm
" Hæc eadem (luſtris octo labentibus) aſtra
" Aſpectu intentant Aquei conjuncta Trigoni:
" *Stat gravior, ſed fixa, polo ſententia; lætis*
" *Triſtia ut alterno ſubeant peragenda theatro.*
" Quicquid id eſt; animos magna in diſcrimina magnos
" CAROLUS exacuet. Cui nunquam proſpera mentem

 " Extu-

" Extulerant, nunquam celsæ blandimina sortis
" Quassârant æquam fastu surgente bilancem;
" Non illum adversis metus est succumbere rebus,
" Aut majestatis constanti e tramite gressûs
" Flectere, posse; Orcus quamvis conjuret & orbis,
" Pectora tartareâ excutiens prægnantia fraude,
" Ferratasq; acies castris educat, & artis
" Hæreticæ incautas laqueârit nectare mentes.
" Firmior ille tamen contrà grassatur; ut audax
" Massylâ de gente leo, truculenta luporum
" Agmina, vel cautas solitus contemnere vulpes.
" Aut velut obnitens adversa in pondera *Palma*
" Altior assurgit:- Tibi sic vis effera nomen
" CAROLE Prime dabit, quod nulla aboleverit ætas:-
" Et conjuratas Regale excindere nomen,
" Invisas semper terris cœloque cohortes,
" Qui pietatis amant; qui Religionis honorem
" Sinceræ, infernis damnabunt usque tenebris.
" At tu Magne Puer, cujus natalia festis
" Plausibus, albati celebramus læta Britanni,
" Aggredere ô magnos, cœlum quos spondet, honores.
" Haud obscura, atavûm virtus, exempla præibit.
" Excutiat gentes melior quas educat orbis
" Anxia Sedulitas; fastûs & fastibus ipse
" Opponat livor nostris, tot nomina Regum
" Haud usquam paribus veneratur honoribus ulla:
" Non melior Regum series, populusve fideli
" Promptior obsequio sanctos coluisse Monarchas.
" Dura tibi ut primis fortuna restiterit annis,
" Hoc tyrocinium summis Heroibus alti
" Ad culmen firmos gressûs deducere honoris,
" *Cammori, Brusiique*, & primi exempla JACOBI
" Ostendent. His tu majorem extendere factis
" Ne dubites famam. Diæ tibi semina mentis
" Ingenuit favor æthereus. Tibi sanguinis ortum
" Per bis secla decem deductum e stemmate Regum,
" Exortem natura dedit: Jam certa futuri
" Omina sentisco. Post bis tria lustra peracta,

" Quod desiderium populi, quæ vota Britanni,
" Quæ te cura Poli, per tot discrimina salvum,
" Restituent solio (quamvis fremat Orcus) avito.
Dixerat Interpres. Rata nobis omina fecit
Hæc lux. fausta, dies semper meliore lapillo
Et Cressa signanda notâ: quam postuma festam
Secula cuncta colent. Fastis hæc *Aurea* nostris
Stabit, ut immemores nunquam sinat esse nepotes.
Hæc pingues epulas, hæc dulcia vina quotannis,
Effusa & patulâ miserentia viscera dextrâ
Postulat: hanc nemo tetricus contaminet atrâ
Tristitiâ: Jovæ nobis stant gaudia robur.
Hæc te prima dedit terris, *Auguste*, *Britannis*,
Carole, te rursus patriæ (post lustra quaterna)
Ereptum (proh! Triste nefas, proh! degener ævum,
Armaque tartareis male conjurata maniplis)
In *Patrio* antiquâ cum Majestate videbat
Fulgentem solio; proceresque ad basia dextræ
Prolapsos; populosque (tibi præstare volentes
Obsequium) vultûs, avidos, spectacula sacri
Haurire, & pressæ vestigia tangere plantæ.
At fera quos rabies transversos egerat, armis
Et Regi & Patriæ infidos, invisaque cœlo
Nomina, pollutis (*Cyclopica* pectora) sacris,
Jamque Otomanniadûm ritu, pro numine, doctos
Successum (mente ah lævâ) coluisse secundum,
Indignante Polo, versâ in contraria sorte,
Hausere horrifico spumantia pocula vino,
Fæcibus expressis; lymphataque pectora diris
Consilis, usquam consistere nescia, terram
Pulveream lingunt; expertique omnia frustrà,
Undique dejecti; furiis agitantibus, arma
Dum rapiunt, fusi; scelerum stimulante reatu,
Exosi veniam & pacato a *Principe* pacem;
Civibus invisi nimiùm, populisque propinquis,
Aut alio terras quærunt sub sole latentes;
Ingratam aut tolerant miti sub *Principe* vitam;
Horrida damnatos aut claudit carceris umbra;

Aut meritas æquo pendunt sub Judice pœnas.
Ast hîc grata Deo Clementia, parca cruoris,
Multorum est contenta metu, non prodiga lethi.
Ergo agite, O Cives, quæ vota decennia mœsti
Crebra Panomphæo fudistis sæpe Tonanti,
(Jam rege incolumi, jam libertate receptâ,
Firmatisque sacris) animis persolvite lætis:
Agnoscantque omnes, quanto gratissima semper
Libertas, servire Deo, servire Monarchæ.
Civibus hic pacem firmat, securaque legum
Præsidia, amotoque metu sua cuique fruenda.
Vis procul a solio, procul est injuria, Regis:
Cana Fides stat circum, & pleno Copia cornu,
Libraque Justitiæ, meritis & debita merces,
Quæque ligat Cœlum terris, terrenaque firmat,
Religio sincera, pii & constantia cultûs,
Non levibus populi ingeniis cessura, lucrove.
Præsertim nostro qui, proxima sydera *Phœbo*
Fulgetis, primo & ductum de lumine lumen
Spargitis, ac patriæ noctis dispellitis umbras,
Illustres *Proceres*, eôdem tot lustra sub hoste
Tot mala perpessi; toties communia vota
Facta Polo, spem communem, commune periclum,
Communesque metûs tanto cûm *Principe*, magnis
Nunc memorate animis; communia gaudia tandem
Carpite: quasque Polo precibus communibus olim
Vovistis, gratas securi reddite laudes.
Quique pium vobis Regem, Regique paternum
Restituit Solium; qui vobis pristina jura,
Qui veteres titulos & avitum instaurat honorem,
Illius Majestati submittite fasces.
Sumite de nostro hîc exempla imitanda Monarchâ:
Quique suos vobis radios affulget, ab illo
Sumite virtutis verique exemplar honesti.
Præ cunctis, tu magne Heros, qui fidus Achates
Firmiter hærebas Regi, discrimina cuncta
Principe cum tanto expertus, totiesque probatæ
Virtutis testis, per dura pericula Martis,


Perque

Perque tot annorum errores, tot Regna, tot urbes;
Middiltone jubar patriæ, fauſtiſſima ſtella
Illuſtrans Procerum radiato lumine ſphæram;
Pallada militiâ & prudenti pectore; Phœbum
Eloquio referens; Sophie quot vendicat, omnes
Amplexus tacitis animi in penetralibus artes;
Cujus & effigiem virtutum in pectore geſtas,
Perſonam quoque ſuſtentans & maxima rerum
Pondera; dum patriæ labefactæ vulnera ſanas,
Antiquumque decus Majeſtatemque vetuſti
Imperii inſtauras, armiſque & lege refulcis;
Inter tot rerum molimina maxima, tantæ
Lætitiæ in partem non acceſſiſſe pigebit;
Aut alios potius, properantes undique, tantæ
Lætitiæ in partem non admiſiſſe gravabit.
Hîc etiam tenues non aſpernabere Muſas
Exhilaráſſe tuæ dum captant baſia dextræ:
Hæ reſides ſpondent citharas deſuetaque plectra
In laudes aptare tuas: ne clarius ullum,
Quam Middiltonium, celebrent Permeſſides undæ,
Vel juga Parnaſſi, nomen, vel culmina Pindi.
Quis tamen aut Pindus, vel quæ Permeſſides undæ,
Pimplæuſve chorus, vel quæ Chelys aurea Phœbi,
Sufficiat memorare tuas, ter Maxime Regum,
Carole, virtutes! Alcidæ planta ſtaturam
Corporis hic doceat. Quid primo vidimus ævo?
Aut quid laudandum primo non vidimus ævo?
Invictum mentis juvenili in pectore robur,
Dignaq; canicie gravitas, at neſcia faſtûs;
Parcior, & nunquam juſto ſine pondere ſermo;
Non confiſa ſibi vis, aut temeraria, ſponte
Conſilium ſed prompta ſequi, & diſcernere docta;
Affectûs ſemper Rationem audire parati;
Sobrietas victûs, ſemper moderata cupido;
Mens generoſa, mali temerè non credula; rebus
Nunquam fracta malis, non unquam elata ſecundis,
Nunquam luxuriæ, nunquam ceſſura timori;
Ponere docta modum ſtimulis ultricibus iræ;

Contemptûs secura: tamen ; sua cuiq; benigna
Reddere ; non aliena sequutam, sua recta tueri ;
Non alia ambitio, quam, quantum sanguinis ortu,
Artibus eximiis tantum præcedere cunctis ;
Relligio firmis animo radicibus hærens ;
Quam non impietas, exempli prodiga, quasset,
Debita vel Matri pietas charisq; propinquis,
Non conjurati Cives, Patrisq; cruenti
Sanguine (proh ! seclis scelera execranda futuris)
Visq; illata sibi, & patrium Diadema negatum ;
Dura vel exilii diuturni tædia ; non quas
Externæ illecebras aulæ, aut *Tarpeia* Siren
Fecere, aut armis spes ostentata potentum ;
Loiolitani aut fœcunda Sophismata cœtûs ;
Omnibus his potior dîæ constantia mentis :
CAROLON hæ laudes decorant ; quas unus & alter
Vendicet. Exortes titulos hæc gloria spondet ;
Mensuram voti externis ostendere Regnis ;
Non bello, at meritis, animos vicisse rebelles.

Tho: Crafordius Math. P.

Contemp.



Carmen Gratulatorium, oblatum Illuſtriſſimo viro,

D. JOHANNI MIDDILTONIO,

Middiltonii Comiti, *Fethercarniæ* & *Clarimontis* Regulo, &c.

Legato Celſiſſimo, miſſo ad Comitia Regia

habenda in *Scotiâ*, anno 1661. à

CAROLO II.

(Dei gratiâ admirandâ)

Rege *Britanniæ*, *Franciæ*, & *Hiberniæ* Opt: Max: & feliciſſimo, cum in aulâ Academiæ *Edinburgenæ* ab JACOBO 6. denominatæ, unà cum regni Proceribus invitatus à Civitate, celebraret memoriam dicti CAROLI nati, &, poſt novenne deploratum exilium mirificè reſtituti ſuis, ſummâ omnium cum lætitiâ, uno eodemq; 29. die Maii, omnium ſeculorum memoriâ quotannis, jure, ob geminum idq; inſigne beneficium, divinitus datum, celebrando.



Memorande dies! quo bis jam CAROLUS ortus,
CAROLUS & Patriæ ſpes, magna & gloria mundi;
Non magis excelſo majorum ſtemmate ſplendens,
Quam ſplendore nitens proprio. Spectemus utrumq;.
Ecquis id immenſo populus jactabit in orbe?
Tot Reges cum laude Sacræ diadema CORONÆ

Gestasse invictos? Proavûm quot nomina Carli
Magnanimi Herois, divinâ & origine nati :
Horridus à teneris quem Mars excrouit annis ;
Tollere quem toties conjuravere rebelles,
Cæde Patris terram qui fœdavere Britannam.
Heu scelus infandum ! quis durus talia fando
Temperet à lachrymis ? Casu subeunte Parentis
Injusto & tristi mentem, vix eloquor ipse !
Chara Deo soboles ex his servata ruinis,
Postq; novem exilium annorum, cum pace revertens,
Imperio potitur, non vi, non fraude, paterno.
Fœdifragis servis sed qui parere coacti,
Legitimosq; diu assueti contemnere Reges,
Sponte suâ (sint quanquam ex seditione creati)
Certatim properant famulas ei tendere dextras.
Siqua fides Graiis, Latiis vel habenda poëtis,
Jupiter, anguipedum disjectâ mole gigantum
Fulmine, sic positis consedit pacifer armis
Inter Cœlicolas, nutritus lacte Capellæ,
Terrigenûm evadens crudelia vulnera fratrum.
Quem facta occuluit sidus generosa *Puella* : *
Hæc monstrant infractum animum, regemq; probatum
Tot tantisq; malis, cœlesti Numine tutum,
Dignum plura tribus latis qui regna gubernet,
Quemq; sui cives læti, plausuq; frementes,
Accipiant, longo quos tempore dira tyrannis
Afflixit, pressitq; jugo, ut servilia colla.
Quo duce, siqua manent sceleris vestigia tanti,
Irrita perpetuâ solvant formidine regnum,
Tristitiæ & tenebris atris cum nocte fugatis,
Exhilarent fido populo nova gaudia mentes,
Libera venturo lætentur & omnia seclo.
Hæc pariter linguas falsas, falsosq; prophetas
Increpitant, vulgo præsagia falsa locutos ;
Non fore vel prorsus, vel non sine sanguine, Regem,
Consilioq; Deum arcano abjecisse Stuartos
(Horrendum auditu ! humanas ne polluat aures,
Spargi pro dîo blasphema oracula verbo,

* *Johanna Lane altera Amalthea inter sidera,*

Turpius

Turpius & victi quæ majestate retractant)
Confirmantq; Dei forti *Solomonta*, beatum!
Hæc Regem populumq; docent de mutuo amore,
Et quò perducat bellum cum *Principe* cives.
Tuque Vir illustris, regali munere fungens,
Nostrum ornare tuo non dedignate Lyceum
Vultu tam facili, nostramq; amplexe parentem
Nutricemq; Urbem, per tot discrimina tecte,
Perge tuo, nostroq; simul, persolvere Regi
Obsequium, studiumq; pium, Legate merenti.
Hanc gentem recrea, quò tot vexata procellis
Pace in perpetuâ cum Relligione quiescat.
Et vos O Regni Proceres, queis tanta potestas
Commissa est, celebrate Deum: tum reddite honorem
Principibus justum. Vos nunquam prava libido
Flectat ab officio: sceleratos pœna recîdat.
Quæ si præstetis memores virtutis & æqui,
Jure tenent sævi dum tartara cœca Tyranni,
Quos furor invasit, dominandi insana cupido,
Non curare Deum quævis terrena putantes,
Dejicerent armis perjuri ut singula fœdis,
Atque sui Regis per vim sibi regna pararent,
Fœdere debebant quæ non violata tueri:
Donec ab obscuris lucem Sol dividet umbris,
Clari *Fergusida* retinebunt sceptra STUARTI,
More Patrum solito qui justo examine nôrint
Parcere subjectis, ac debellare superbos.
Et CARLI augustum, superat dum *Scotia*, Nomen
Cantantes sublime ferent ad sidera *Scoti*,
Alite tollentes altum super æthera cantu :
Posteritas & sera canet, dum secula mundus
Volverit, æternum grata & celebrabit in ævum.
Quæ sperant optantq; boni, nostræq; Camœnæ.

Gul: Tuedius, Philos: Prof:

Ad virum Clarissimum, D: JOHANNEM MIDDILTONIUM, *Middiltonii* Comitem, *Fethercarniæ* & *Clarimontis* Regulum, CAROLI II. Legatum Celsissimum, missum ad Conventum Ordinum habendum in SCOTIA, *Anno* 1661.

REgius est animus pulcher tibi, regia virtus:
Regis opus tractas Regis amore tui,
Accedit laudum cumulo, quod amicus amicis
Regis tam constans hostibus hostis eras.
Enumerent alii quantumvis mille triumphos;
Scotia consiliis subdita facta tuis.
Marte nec inferior quovis, Mavortia proles:
Perpaucis annis multa tropæa tua.
Major in adversis fulsit victoria rebus,
Principe cum pulso, dum peregrinus eras.
Quid memorem excultum ingenium, studiisq; Minervæ
Tam bene limatum? tota Minerva tua est;
Sive ferox armis sequeris fera castra Gradivi,
Sive sonat verbo Curia celsa tuo.
Græcia Martigenas ostentet, Roma Metellos,
Troia vel antiquos nobilitate viros:
Ast tibi concessit largè natura benigna,
Dotibus hos omnes ut superare queas:
Dotibus eximiis notus, Dominoq; fidelis,
Additus es numero nobilitatis honos.
Te nova Nobilium decorent insignia quamvis,
Per te Nobilitas nobilitata magis.

Gul: Tuedius, Philos: Prof:



SYLVA.


Eternos poscunt threnos tua funera Regum
Maxime, CAR'LE *Prior!* Fata at tua, CAR'LE
SECUNDE,
Libera vix gemitu sic mœsta *Britannia* pridem
Obstupuit; sic nunc eadem miratur, ut ægrè
Quos toto sentit perfundi pectore motús
Lætitiæ, credat veros; sed somnia mentis
Sollicitæ, tacitis noctu quæ volvere votis,
Vim metuens premere interdiu per bina solebat
Lustra, quibus latè victricia signa rebellis
Factio (perfidiæ stimulos & Numinis iram,
Ultoresque animos Scotorum, morte paratos
Vel propriâ, infandos primùm prævertere casus,
Vel post, patrati sceleris deposcere pœnas;
Infractisque animis sceptrum tibi reddere avitum,
Molirique viam reliquis per tela per ignes,
Ni fata obstarent, horrens) bellum occupat atrox:
Inque suos primum est rabie grassata, tuosque
Mox etiam, infidis male credula Scotia, cives:
Quæ dum incaúta mali, studiis distracta tuorum,
Tardius obsistis furiis, in viscera dirus
Perrumpens, agros hostis populatur opimos,
Agmine stipato, nec longè castra remotus:
Ingressus, fugiens fratrem cum cornua Phœbe
Monstrârat nondum terris; Fraterque furentis

Axe premit rapido Nemeæi terga Leonis,
Alteram & ad luces bis denas addere anhelos
Cogit equos mensi signato nomine Julî.
Ridebant tunc prata rosis; & messibus agri
Spondebant, inopem quamvis, ditare colonum.
Scotorum interea qui primi ad signa coibant,
Non armis numeroq; pares, nec fata secuti,
Sed causam, miscent pugnas, tentantque futuros
Sæpe animos, acuuntque iras felicibus ausis:
Hinc ceu totius libantes omina belli.
Heu frustra! Horresco referens. Invadere fines
Obscurum, externum, tantâque à cæde recentem
Credibile? Ei Patriam dare cives? Agmina tyro
Instruit: At duris qui consenuisset in armis,
Fortem operam *Patriæque* PATRI, *Patriæque* paratus
Navare, indomitus semper, dum firma vigeres
Consiliis, miles dimittitur. Inde malorum
Ilias exundat. Quas strages? Funera quanta
Heu dedit ille dies (tibi quo non *Allia* fastis
Roma tuis damnata diu; nec funere *Pauli*
Varronisq; fugâ spumantes sanguine *Cannæ*
Insignes, magis infandum videre) tacendus
Omni ævo? Ignorent venientia secula cladem:
Sic vinci potuisse, quibus tunc vincere pronum;
Jusque datum sceleri. Tantæ nec mortis imago
Fida tuis sceptris prostravit pectora *Scotos*:
(CAROLE, vidisti: neque enim meminisse pigebit)
Non ærata mari classis, tellure nec agmen,
Quamlibet ostentet minitans victricia signa,
Edomuit. Sed bella parant mox altera: cogunt,
Atque iterum turmas disjectas milite complent:
Delectûsq; novos scribunt, frumentaq; & arma
Conquiruntq;, feruntque: à littore clade minuto
Exscensûs prohibent: aditûs atque oppida firmant
Præsidiis: iterum & felix in prælia Veles.
Hostibus invitis tantum sperare dolorem,
Inque malis mediis, lætos tot secula sanctum
Imposuisse juvat capiti diadema paternum,


Imposi-

Impositumq; juvat toties defendere dextris.
Larbera pons testis eras, prope nobilis, illo
Regia quo virtus & mens prope *Parricidas*
Tempore delerat fusos: testesq; propinqui
Innerketha tibi colles; ubi mutua bini
Frontibus aversi jungebant pectora, inulta
Sic se haud passa mori. Testis *Vorcestria* fida,
Haudq; suo merito infelix; sed proditione
Unius. Quas hic mortes! Quæ vincula passæ
Illustres animæ! Testes fastigia *Grampi*
Sic admirati recidivam surgere flammam,
Semper inextinctam, semperq; à clade renatam!
Nobilis ille *Heros* testes, *Rex inclyte*, mille,
Qui reditum, toties sudatum sanguine Scoto,
Haud voluit præstare tamen sine milite Scoto.
Sic positis odiis gentem sociavit utramque.
Ille *Heros* nobis hæc otia deproperavit;
O REX fecisti: potis est fecisse nec alter
Mortalis, facies Regnis si mille resurgant.
Otia non solum nostra hæc, sed & otia trinis
Læta tuis populis. Sic te diffundis in omnes.
Et quæ, qui meritò cunctis præponderat unus,
Egregiâ & curâ cunctos complectitur unus,
Auspiciis jussisq; tuis, diplomate sacro
Munitus, sceptri labes & damna resarcit,
Scipiades, belli fulmen, pacisq; togatæ
Ornamentum ingens, celebrat lætissimus *Heros*:
Otia, quæ primi *Proceres*; quæ læta *Secundus*
Ordo Nobilium; Primas & qui colit Urbes,
Edinam ante omnes, pro te ó tot tristia passam!
Edinæque sacrum tibi, SEXTE JACOBE Lyceum;
Oppidaq;, aut pagos, vicos, cerealia rura,
Exiguasque casas, congestum & cespite culmen,
Concelebrant; omnes læti nunc omine lucis
Bis tibi natalis, quæ & primas luminis auras
Nascenti affudit felix, iterumq; renatum
Illustrat fulgens radiis lux aurea puris,
Fulsura & rediens sua per vestigia semper.
Lætitiæ hi veri motûs, non somnia vana.
His præsens, oculis qui perspicit omnia puris.

Ja: Pilanus Ph. Pr.

Impostumq; juvat toties defendere dextris.
Auxere pons restus eas, prope nobilis, illo
Regia quo virtus & mater prope Parricidas
Tempore deferat fusos: testesq; propinqui
Jane, Lethe tibi colles, ubi mutua bini
Frontibus aversi jungebant pectora, muta
Sic se haud passa mori. Testis Forcefysia fuis,
Hancq; suo merito infelix; sed proditione
Unius. Quas hic mortes! Quæ vincula passæ
Illustres animæ! Testes fastigia Grampi
Sic admirati redivivam surgere flammam,
Semper inextinctam, semperq; clade renatam;
Nobilis ille Heres testis, Rex inclyte, mille,
Qui testatum, toties sudatum sanguine Scoto,
Haud unum præstare tamen sine milite Scoto,
Sic pessimis annis gentem sociavit utramque.
Ille Heres nobis hæc otia dispepenant;
O Rex secutus: quod est secusse nec alter
Mortalis, faciet Regis si mille relinquant.
Otia non solum nostra hæc, sed & otia trinis
Facta tuis populis. Sic te diffundis in omnes.
Et quo, qui merito cunctis præponderat unus,
Egregiâ ut curâ cunctos complectitur unus,
Auspicium nullisq; tuis diplomate sacro
Munitus, scopis labes & damna resarcit;
Scipiades, belli fulmen, pacisq; togatæ
Ornamentum ingens, celebrat lætissimus Heres.
Otia, quæ primi Proceres; quæ jura secundus
Ordo Nobilium; Pastores & qui colit Urbes.
Extremas ante omnes, pro te ô tot tristia passam!
Extremaque factum tibi, Sancte JACOBE Lyceum;
Oppidaq; aut pagos, vicos, certaina rura.
Exiguasque casas, congestam & cespite culmen,
Concelebrant; omnes sæt nunc omine lucis
Bis tibi natalis, quæ & primas luminis auras
Nascenti affudit felix, iterumq; renatum
Hostenat fulgens radiis lux aurea puris,
Fulsura & radiens tua per vestigia semper.
Lactea hi veri merito, non somnia vana
His præsens, oculis qui perspexit omnia patris.

Ja: Pitcairne Ph. D.



Sereniſsimo Potentiſsimoque,

CAROLO II.

Magnæ *Britanniæ*, *Galliæ*, & *Hiberniæ*,

R E G I,

In Natalitiis ejus iiii Cal: Junias CIↃ IↃCLXI.

Vota *Caledoniæ*.



Riſtior umbra fugit, triſtes ceſſere tenebræ,
Præque diem veniens Lucifer almus agit:
Quo te bis natum colimus, ter Maxime, terris
Commoda magna tuis, gaudia magna tuis,
Carole: clara Deûm ſoboles, & maxima magni
Cura Dei, & noſtro magnus in orbe Deus,
Ac ſolo minor ipſe Deo, qui ſidera cœli,
Quique regit terras, æquora quique regit.
Ergo renaſcentis, clariſſima gloria ſecli,
Grata *Caledoniæ* ſuſcipe vota tuæ:
Quæ multos adeo multùm vexata per annos,
Ac totidem Dominos, tot quoque paſſa procos,
Inviſos invita tuli: malè credula, quantum
Credulitas nocuit, ſimplicitaſque mihi?

D Carmi-

Carminibus vanis equidem, incantata (fatebor)
    Esse lupos agnos, & simulachra Deos,
Et servos dominos, & perfida fida putabam
    Pectora, Semideos terriginasque viros.
Donec vincta manus, seu vi, seu fraude tyranno
    Prodita, non sueto colla premenda jugo,
Sed non sponte dedi. Semper te mente colebam
    (Te nil in terris sanctius esse sciens)
Funera gnatorum, testes, properata meorum,
    Dumbarri curâ castra fugata malâ,
Sanguinolenta tui Taoduni mœnia, & armis
    Utlibet infaustis, bis repetita Soror
Anglia. Virtuti non respondentia fata
    Excusa facilis, pro pietate tua.
Cœlo aliter visum : nam quæ civilibus armis
    Non data sunt, precibus sunt data cuncta piis.
Ergo tuas votis semper cumulabimus aras
    Sancte parens rerum, cui pia vota placent :
Cuique pias audire preces est summa voluptas,
    Tu Regi vitam, tu cumulabis opes,
Tu titulos, pacem, Thalamos, post bella triumphos
    (Si quæ bella placent) progeniemque dabis
Et solio, & tanto dignam Patre: denique quicquid
    Voverit ipse sibi, te superare precor :
" In quo ad supremum probitas perducta cacumen
    " Consistat, nec, quo progrediatur, erit :
Cœlestisque tuo descendens copia cornu
    Æternum servet, protegat, atque beet.

Academia Edinburgena Exultans.

E C L O G A.

Sarvistus, Philanax.

Sarv. IC Metamorphosis! pompa hîc! Quibus, advena tantus
Auspiciis, *Philanax*, vestra Lycea subit.
Philan. Hunc, *Sarviste*, diem numerans meliore lapillo,
Gratatur Regi Scotia tota suo;
Proregem illustrem enixè hîc Edina rogatum,
Testem lætitiæ, gaudet habere suæ:
Sceptra Caledoniæ quòd nunc feliciter oræ,
Centum octo à Scotis missa tuetur Avis,
Qui sortem antevenit meritis, virtutibus annos,
Magnanimos animis, consilioq; Deos,
C A R O L U S (& C A R L I super astra propago corusci)
Ille Pater Patriæ, curaq; magna Dei.
Sarv. Vos indulgetis latebris, pompæq; fugaces
Secessûs colitis: Hic furor unde novus?
Philan. Secessum colimus, sed non ignobilis otî.
Secessuq; licet discere D I S C E M O R I.
Halcionum, sine fine, dies, pars maxima vulgi
Vaticinans, vacuos protrahit usq; dies.
Nos & honesti amor, & Pietas pellexit in oras
Luminis has diâs; grataque Edina, Parens
Alma, suo proprio potuit suadere Lyceo,
Regi, & Proregi, carmina læta dare.
Dum procul à Regnis, errabat C A R L U S avitis,
Exegit mediis carmina nulla malis:
Nunc, quoniam solium conscendit C A R L U S avitum,
Exegit reduci carmina læta dare.



ΗΡΩΙ ΜΕΓΑΛΟΠΡΕΠΕΣΤΑΤΩ,
ΙΩΑΝΝΗ τῷ ΜΙΔΛΗΤΩΝΙΟΥ ΔΥΝΑΣΤΗ,
ΚΛΗΡΜΟΝΤΙΟΥ, καὶ ΦΗΤΗΡΚΑΡΝΙΑΣ
ΣΑΤΡΑΠΗ,
Εν τῇ τῶν ΣΚΟΤΩΝ μεγάλῃ βουλῇ
ΑΝΤΙ-ΒΑΣΙΛΕΙ Ευδοξοτάτῳ,
ΠΡΟΣΗΓΟΡΙΑ.


'Ρως 'Ηρωων, Κλυτε Μιδλητωνε, Βρεταννων,
Κα'ν τελεθῃς, Σκοτιας τῆς γενεῆς φαος;
Κα'ν ἀρετῆς κυνοσȣρα πελῃς, Βασιληος 'Αχατης
Πισοτατος; Βασιλεῖ φιλτατος ἠν'περ ἐῃς;

Τῶν περι τον πολεμον κορυφη, κα'ν δ'ίφι ἀνασσῃς;
Κα'ν τ'ἀγορην Σκοτιας ὡς Παλινȣρος ἀγῃς;

Κα'ν σ'Ε'ρμης γεγονεν; τετοκεν κα'ν ποτνι' Αθηνη;
Κα'ν σ'ἐτρεφεν Αρης; πεισινοη τε τιμη.

Ο'λβιος ὅττ' ἐμαθες, Βασιλεικεας, ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ,
Πρῶτον τ' ȣρανοθεν παντα τα δῶρα λαβεῖν.

Κληδοσιν ἐν ἀ'γαθοις ἠλθες ποτι τȣτο Λυκειον,
'ΟΥνομ' ἐδωκε παλαι ῷ Ιακωβος ἀναξ.

Τ'ΟΥνεκεν ευ'μενεως δεξαι βασιλεικαλ' ἀοιδας,
Κᾶρ-ὀλον ἀ'ις Καρολον κοιρανον ἠσε τεον;

Κοιρανον ἠσε τεον πραπιδεσσιν, πρῶτον ἀνακτων
Ε'νδοξων Καρολον, κῦρος ἐχοντα παλιν;

Κῦρος ἐχοντα παλιν θειη δ' ἐτελεσσατο βȣλη,
Ο'φρα Καληδονιη χαρματα τ' αὐθις ἐχῃ;

Ε'νθ' ἀ'παρερχομενῳ, και σοι πολυηρατ', αναντι,
Συγχαιρει τῷ νυν χαρμα τ' Ε'δινα τεον;

Δημοσιηντε χαραν περι-χαιρει τȣτο Λυκεῖον,
ΠΑΝΑΡΕΤΟΝ, Καρολον δευτερον ἐνθα γλυφον.

Jo: Wishart *Philos: Prof:*

In Natalitiis Augustissimi
CAROLI II.
Britanniarum, &c. Monarchæ.


Ædalus ut Maius tellurem pingit amœnam,
Exornatque annum floribus usque novis:
Sic tandem terras decoravit *Flore Perenni*,
Britonidûm & gentem nobilitavit eo:
Carduus hunc cingit (semper benedictus) & armat,
Splendorem faciunt *Candida, rubra, rosa.*
Magna *Caledoniæ* vernantis gloria sylvæ,
Nobilis antiqui lausque decusque soli:
Ille abreptus ubi Patriæ per vimque nefasque,
Nec frondent sylvæ nec viret almus ager:
Finibus at patriæ mœstis ubi redditus ille,
Et sylvæ frondent & viret omnis ager:
Hinc eris alma dies, *antiqui* veris origo,
Aurea qua redeant secula prisca, nova.
An non læta dies, alboque notanda lapillo,
Natalis Regi quæ fuit & patriæ?
Flos Regum natus, pariterque renatus eâdem:
Hac populus pariter nunc redivivus adest.
Sæviit (horrendum scelus!) in sua viscera victrix
Gens; ferro, flammâ pene perempta suâ.
Quæ vallis, flumen, (quæ tanta insania cives!)
Sanguine *Scotorum* non madet atque rubet?
Composuitque Deus tandem sine cæde cruentas
Lites! ô laudes candida vita canat!

Discite

Discite de hinc legi divinæ, discite Regi
Præstare obsequium mente manuque pia.
Es pius in Patriam atque Deum? hoc mage pronus in illum;
Ille *Pater* Patriæ; proximus ille Deo.
Una, salus populi Lex est dicenda suprema?
Rex una est *P*opuli vera, suprema Salus.
Ut primus Regum numerabitur ille *Secundus*
Noster, qui nulli jure secundus adest:
Imperio magnus, major virtute serena:
Maximus at multo miti animoque pio:
Quem *Tamesis*, quem *Fortha* tumens, quem *Banna* citatus
Celsum, submisso poplite rite colit.
Quem vagus *Oceanus* liquidis circumfluus undis
Audit, & Imperio promptus adesse cupit.
Quemque *Quirinales Aquilæ fascesque superbi*,
Tarpeiæ quem arcis fulmina vana timent.
Cujus & exæquant florentes ære *Phalangas*,
Sydera vix Cœli, gramina vixque soli.
Cujus & excelsum pectus Cum Pallade Phœbus
Certatim donis excoluere suis.
Sit quantum in duris animi prudentia, robur,
Tuque *Tae* es testis, Tuque *Sabrina* tenes.
Virtutem invictam, inconcussam Relligionem
Sequana miraris, *Scaldi* superbe stupes.
Vivat sic Carolus, Caroli generosa propago,
Lux dum per certas itque reditque vices.
Floreat æternum sic ô par nobile *Florum*,
Flores dum venient vere tepente novi.
Juncta *Rosis* viridans crescat sic pacis oliva,
Dum referet vernas garrula hirundo vices.
Sic *Lyra* læta sonet, nec mœsta sit amplius illa,
Ramis dum volucrum turba canora canet.
Qui *rubet* ille *Leo* sic usque triumphet in *Auro*,
Fulvum dum Pardi sole cadente trement.
(Unde *Leo* in *Geminis*? in eadem sede morantur
Majestas & amor, quam bene conveniunt!)
Scotia tota canit: plaudit juvenisque senexque:
Lætitiæ voces astra serena petunt.

Agricolæ

Agricolæ, gnavi festâ lætantur in umbrâ,
Cincti diffusam fronde virente comam.
Nunc Campana, feri quondam prænuncia belli,
Ancipitis Jani limina clausa sonat.
Nunc tuba terribilis, sævi præfatio Martis,
Laurigeræ pacis nuntia dulce canit.
Nunc flammæ rapidæ, nuperque incendia belli,
Belli discussi splendida signa micant.
Nunc tormenta tonant blandè, mittuntque salutem,
Quæ nuper patriæ funera dira dabant.
At quantum reliquas supra caput extulit urbes
Urbs Edinensis, molibus alta suis,
Tantum præcellit studioque animoque fideli
In Patrem Patriæ. Quam bonus ille Pater!
Compita lata fremunt plausu lætisque choræis:
Plausus solennis sydera clara ferit.
Arduus *Arthurus*, CAROLUM resonare docetur:
Valles ingeminant, " CAROLE Magne, Bone,
" Vive Tibi & Nobis. Nam Te sine vivere vita est
" Nulla. Tibi & Nobis CAROLE vive diu.
" Castalidum cultus, Jus, Pax, Concordia, virtus
" Te cedente abiit, Te redeunte redit.
" Vive valeque diu florens, ter Maxime Regum,
" Una *Caledonii* Spes Columenque soli;
" Vivas in Pylios annos pulcherrime rerum,
" Omne decus Patriæ deliciumque Tuæ.
" Pectora fida Tibi juxta & fortissima, *Scoti*
" Obsequium, pascet dum Polus astra, vovent.

Hugo Smith. P. P.

FINIS.